

mentitur : quando autem tu orando mentiris in ipsa oratione convinceris. Non enim Deus ut te convincat testes ad te querit. Qui tibi dictavit Preces , advocatus est tuus : si mentiris , testis est : si non te corrigis , judex erit tuus. Ergo et dic , et fac. Quia si non dicis , contra jus petendo non impetas : si autem dicis et non facis , etiam mendacii reus eris. Non est qua versus iste transeatur , nisi quod dicimus impleatur. Numquid delere istum versum poterimus de oratione nostra ? An vultis ut illud ibi sit : « Dimitte » nobis debita nostra : » et deleamus quod sequitur , « Sicut » et nos dimittimus debitoribus nostris ? » Non delebis , ne ante delearis. In oratione ergo dicis : « Da ; » dicis , « Di- » mitte ; » ut accipias quod non habes ; et relaxetur tibi quod deliquisti. Ergo vis accipere , da : vis ut dimitatur tibi , dimitte. Brevis complexio est. Ipsum Christum audi alio loco : Dimittite , et dimittetur vobis ; date , et dabitur vobis. Dimittite , et dimittetur vobis Quid dimitteris ? Quod in vobis alii peccaverunt. Quid et vobis dimittetur ? Quod peccasti. Dimittite. Date , et dabatur vobis quod desideratis , vitam æternam¹. Fulcite pauperis vitam temporalem , sustentate pauperis vitam præsentalem , et pro isto tam parvo terrenoque semine accipietis messem vitam æternam. Amen.

¹ Luc. vi, 37, 38.

FINIS TOMI CENTESIMI VIGESIMI-QUINTI.

ANNOTATIONES.

ANNOTATIO (1) pag. 77.

Ex Augustini in hunc ipsum Michææ locum Sermone nonnihil quod minime continet subsequens Tractatus , decerpsum est a Beda , et in ipsa ejus , non vulgata quidem falsoque ei tributa , sed vera et in pluribus MSS. libris reperta collectione sic profertur ad Galat. iv : *Ex Sermone de propheticis verbis , ut homo diligat iustitiam et misericordiam et judicium , paratusque sit ambulare cum Domino Deo suo. Cum autem venit plenitudo temporis misit Deus Filium suum factum ex muliere , factum sub Lege. Sed offendit , factum ex muliere ; quia natum confitemur ex virgine. Factum non confitemur nisi hominem : Deus autem semper faciens est , fieri nescit ut sit. Fieri nescit Deus : sed sit ut aliquid alicui sit ; quomodo dicitur : Domine , refugium factus es nobis : et , Dominus factus est adjutor meus. Quanta factus , qui nunquam est factus ? Dominus autem Christus homo factus est , ut esset ; ut qui Creator semper erat , creatura esset. Manens enim Deus factus est homo , ut fieret quod non erat , non ut periret quod erat. Hoc ergo de virgine quod factum est , quare ex muliere ? Quod apud Hebræos , ubi est prima lingua Scripturæ , mulier nomen est significandi sexus , non amissæ integrita-*

tis. Lege quando mulier formata est. Extraxit, inquit, Deus unam e costis ejus, id est viri, et ædificavit eam in mulierem. Sic mulier Maria; sic ei dictum est antequam pareret, antequam conciperet: Beata tu inter mulieres.

ANNOTATIO (2) pag. 248.

Locum significat, ubi Cypriani martyris corpus quiescebat; de quo Victor in lib. I de Persecutione Vandalica scribit: *Sed etiam foris muros Carthaginis, quascumque voluit Geisericus, basilicas occupavit, et præcipue duas egregias et amplas S. Martyris Cypriani, unam ubi sanguinem fudit, aliam ubi ejus sepultum est corpus, qui locus Mappalia vocitatur.*

ANNOTATIO (3) pag. 253.

Hic ipse Sermo in Vigneriano Supplemento, ubi excusus sub isto exordio fuerat, *Memoriam Martyrum celebramus, etc.* habet hoc loco additamentum hujuscemodi: *Omnibus tamen dicitur, et qui futuri erant in Domino credituri ante nos et post nos, omnibus dicitur: Eritis odio omnibus gentibus propter nomen meum. Per omnes gentes futura Ecclesia prædicata est: sicut promissam legimus, ita redditam cernimus, et sunt omnes gentes christianæ. Antea oderant eos omnes gentes propter nomen ejus: modo autem omnes gentes clarificant nomen ejus, gentes omnes christianæ germanum Ecclesiae catholicæ toto terrarum orbe diffusæ. Audiamus ergo quid monuit, etc.*

ANNOTATIO (4) pag. 583.

Cœlestis dea a Paganis Afris colebatur. Ejus Augustinus meminit in lib. II de Civit. Dei cap. 4, et in Psal. LXII, n. 7, et in XCIII, n. 14. De ipsius apud Carthaginem templo famosissimo in christianæ religionis usum vindicato, quod anno 399 Aurelio antistite contigit, scribit Prosper in lib. de Prædict. III, cap. 38.

ANNOTATIO (5) Ibid.

Nempe Gothorum cum Rhadagayso duce strages incident in annum 406. Urbis vero clades a Gothis sub Alarico pertinet ad annum 410.